37

DEO DVCE

DECRETO

ATQVE AVTORITATE

AMPLISSIMÆ MEDICORVM

FACVLTATIS IN INCLYTA ET CELEBERrima Heydelbergenſium Academia,

PRAESIDE

D. DANIELE MOEGLING,

VIRO CLARISSIMO, MEDICINAE DOCTORE CELEBERRIMO EIVSDEMque *Profeſſore ordinario, Præceptore ſuo colendo.*

POSITIONES

DE COLICO AFFECTV.

PRO INSIGNIBVS ET PRIVILEGIIS Doctoralibus in ſacra Medicina conſequendis, defendere conabitur

M. GEORGIVS SCHALLINGIVS Ratisbonenſis, XXVIII. Nouembris Horis locoq; conſuetis.

HEYDELBERGÆ

Excudebat Iacobus Mylius, Anno ſalutis

M. D. LXXXIII.

24

AM[illegible]LISS: ET PRVDENTISS:
VIRIS, PIETATE, ERVDITIONE
& virtute præſtantiſsimis

DN: CONSVLIBVS ET SENATORIBVS
inclytæ Reipuplicæ Ambergenſis.

M. GEORGIVS SCHALLINGIVS
RATISBONENSIS

*FAVTORIBVS ET PATRONIS SVIS COLEN-
diß: hanc Diſputationem medicam*

LITERARII EXERCITII SYMBOLVM,
perpetuæ obſeruantiæ & gratitu-
dinis monumentum.

D. D. D.

INteſtinorum Hominis etſi vnum atque continuum ſit corpus, Anatomici tamen in aliquot partes, forma & ſitu inter ſe differentes, ac primum quidē in gracilia & craſsiora diſtinxerunt: graciliora in duodenum, ieiunum & ileum: craſſa vero in cæcum, colon & rectum ſubdiuidentes.

2. Hæc omnia cum non paucis, diriſq; admodum morbis ac ſymptomatibus infeſtari ſoleant: quia tamen ſenſu ſatis exquiſito prædita ſunt corpora, ſæpius doloribus torquentur, quæ in genere στρόφοι & tormina vocantur: quod per anfractus circa vmbilicum & lumbos quaſi circumvoluantur.

3. Frequentius autem & diuturnius ferè dolent craſsiora inteſtina. & ex his maximè quòd colon appellatur. Quia id denſum craſſum & neruoſum eſt, ac nihil quod in illud confluit facilè, quemadmodum in tenuioribus, diſcuti poteſt.

4. Præterea cum amplum ſit & laxum, multiſq; anfractibus ſinuoſum, intus inſuper multo inæquali adipe infarctum, fit, vt craſsiora excremēta, flatus & aliæ, quas excipit, materiæ in complexibus & cellulis illis facilè retineantur & morentur: quarum exuperantia vel malitia deinde miſerè diſtorquentur.

5. Hinc affectus ille, à ſæuiſsimo ſymptomate hoc, & ipſa affecta ſede ſumpta denominatione, dolor coli vel colicus latinis: celſo plenioris inteſtini morbus: à Medicorum vulgo ſimpliciter Colica: Græcis verò κωλικὴ διάθεσις ἢ ὀδύνη nuncupatus eſt.

6. Quamuis autem medici quidam. propè omnes dolores, inteſtina & ventrem diuexantes, colicos appellent: hîc tamen de eo duntaxat diſputabimus affectu, cuius πρῶτον δεκτικὸν ſit colon inteſtinum.

7. Licet nos non fugiat, ab hoc reliqua etiam inteſtina, ipſumq; ventriculum, quæ parti huic primario affectæ continenter adhærent, aliasque partes quaſdam, per συμπάθειαν non rarò quoque affici.

8. Eſt vero hic, de quo dicturi ſumus, morbus, nihil aliud, quàm continuitatis quædam ſolutio, aut intemperies ſubita ac violenta, aut ſimul vtraque à re quapiam præternaturali in colo inteſtino fiens, cum noxa grauiſsima functionum quarundam, animalium præcipuè ac naturalium, earumque aut propriarum, aut publicarum, aut vtrarumq; ſimul. Huic plerunque organicus quoq; morbus, ipſa videlicet inteſtini obſtructio, coniungitur.

9. Symptoma huius morbi crudeliſsimum eſt, deprauatus quidam, moleſtus ac laborioſus ſenſus, mutationis triſtis, quæ colon inteſtinum, ex dictis cauſis, affatim et violenter inuadit, quem colicum dolorem appellari diximus.

10. Alterum vero non minus moleſtum, eſt naturalium functionum eius inteſtini, ſiue propriarum, ſiue publicarum, præcipuè vero excretricis facultatis vel omnimoda ablatio, vel diminutio, vel deprauatio quædam.

11. Etſi autem in illis doloribus intemperies aliquando præcipuus ſit morbus: acerbos tamen iſtos & planè intollerabiles, ſæpius continui ſolutio efficit: grauiſſimi autem fiunt, cum ambæ cauſæ vehementer ſimul agunt.

12. Etſi verbo Colicum affectum proximè efficientes cauſæ toto genere inter ſe differant, in eo tamen ἀναλογίᾳ quadam, (licet ea nomine careat) cõueniunt, quòd iam actu in colo inteſtino intemperiem aut vnitatis ſolutionem excitent. Quemadmodum omnia,

quæ

quæ his cauſis opponuntur, & generatim Colicæ remedia dicuntur, licet genere diuerſiſſima ſint, tamen ἀναλογικῶς hac, quaſi eadem exiſtunt.

13. Atq; harum, à Gal. 12. Meth. & Paulo lib. 3. cap. 43. quatuor potiſſimum genera recenſentur: craſſi ac pituitoſi humores: flatulenti ſpiritus: acres & erodentes humores: & inteſtini inflamatio.

14. Quibus tamen à recentioribus etiam aliæ annumerantur, quarum quædam ad iam dictas referri poſſunt: vt ſint duræ & reſiccatæ feces: in lapides concreta pituita: ſanguinis θρόμβος: Vermes fixi & cõglomerati: Venenata, acria & erodentia pharmaca aſſumpta: inteſtinorum in ſcrotum delapſio & viſceris alicuius tumor, inteſtinum comprimens.

15. Et niſi actu hæc iam intemperiem, aut continui ſolutionem in colo faciant, pro antecedentibus cauſis potius numerandæ ſunt: cuius generis omnes ſunt humores, & alia, quæ pro generatione huius affectus ad inteſtina confluunt.

16. Corripiuntur hoc malo facilius inteſtina, quæ vel natiuam vel aſcititiam imbecillitatem, aut in conformatione, aut ſitu vitium habent.

17. Maximi atrociſſimique, & admodum diuturni huius doloris frequentiſſimæ cauſæ ſunt flatus craſſi: deinde humores bilioſi putridi, acres & erodentes, qui aliquam etiam inflammationem accerſant: tertio phlegma frigidum lentum, vitreum aut ſalſum, inteſtinis adhærens, ipſaq; aut corrodens aut flatibus materiam ſuppeditans, vel viam præcludens.

18. Cæterum generantur materiæ iſtæ vel in ipſo inteſtino: quia cum ſubſtantia membranoſa ac frigida ſit, neq; ſanguine pituitoſo alatur, craſſum, multum ac viſcoſum de ſe excrementum, quale eſt lenta pituita, profert.

19. Vel eadem aliundè, maximè autem ab affecto ventriculo, veſicula bilis, liene, capite, meſenterio, & non rarò toto venoſo genere, excipit.

20. Equidem præcipua etiam officina ac ſedes flatuum ſunt inteſtina. Nam & quos ventriculi concretio progenuit, excipiunt: & pro ſe etiam ex quouis, magis autem crudo, craſſo & impuro chijlo, ſi calor imbecillior ſit, plures flatus gigunt.

21. Frequentius tamen apud noſtros homines, (ob inordinatam victus rationem, vt plurimum multis vitioſis humoribus prægnantes) diuturni colici dolores, ab influxu humorum fouentur, quam primogenio inteſtinorum affectu enaſcantur.

22. Quippe ſanguis pituitoſus craſſus aut lentus, ex crapula diuturna, in venis collectus, & naturæ vel copia, vel qualitate moleſtus, plerunq; ad inteſtina, (velut totius corporis ſentinam) difficulter licet, nec ſine maxima ſpirituum & humorum agitatione, flatuumq; & doloris generatione, expellitur: qua occaſione bona etiam pars in inteſtinis antea contentæ pituitæ exagitatur, funditur, tenuatur & in flatus conuertitur.

23. Atq; id eò promptius accidit, ſi diuturniores febres, aliiq; morbi calidiores præceſſerint, quorum difficilis ſit ſolutio. Craſſiores enim illi humores, à febrili calore attenuati, & paulatim in meſenterio, veniſq; maioribus congeſti, ſubitò ad inteſtina, magna cum flatuum copia effunduntur.

24. Quibus per aluum euacuatis, quieſcit dolor quidem, ſed non diutius, quam vſque nouus ex venis humor confluat: quo fit, vt poſt vnum, vel plures, & ſæpe, pro humoris natura, certos dies, omnia recurrant.

25. Redeunt

25. Redeunt autem tantiſper hæ acceſſiones, vſque dum natura, vel prorſus hac via ſeſe exoneret, quo ipſo morbo æger liberatur: vel maxima materiæ parte excreta, reliquias, diuturno dolore, vigilijs, inedia, calore, calidorumq; medicatorum vſu attenuatas, ſummo conatu, velut per criſim quandam, præſertim vijs ad inteſtina præcluſis, ex venis aliò protrudat.

26. Et licet his ſic tranſmiſſis, dolore quidem inteſtinorum plerunque ægri quoque liberentur: nihilominus tamen, ſi corruptos illos humores, venæ in habitum corporis, ad cutim vſque eructant, vehementis ibi etiam doloris: ſin ad ligamenta tendineſq; παρέσιος & laxatiõis articulorum: quòd ſi ad cerebrum Epilepſiæ: aut ſi ad pectus vel ſpinam, prius vocis cum reſpiratione grauiſſimæ læſionis, ac tandem mortis, cauſa exiſtunt.

27. Colliguntur porro materiæ aut flatus iſti, vel in ipſa inteſtinorum interna capacitate, vbi propter recti inteſtini à ſtercore duro obſtructionem, aut retentam in eis lentam vel concretam pituitam, exitum non habent, ſed inteſtinorum flexuoſis illis orbibus & gijris intercepti hærent, eoſq; violenter in magnam ſæpe amplitudinem diducunt.

28. Vel hærent flatulenti præſertim & acres iſti ſpiritus, inter ipſas inteſtinorum tunicas, quibus diſtrahendis & dilacerandis, diuturnos pertinaciſſimoſque dolores creant.

29. In cauitate vero inteſtinorum indurantur fęces illæ, & nonnunquam humores pituitoſi, aut nimia refrigeratione: aut, quòd ſæpe in febribus ardentibus fit, immodico hepatis, vel aliorum viſcerum calore.

30. Retinentur verò ibidem: vel quòd muſculus σφιγκτὴρ frigore ſit concretus: vel retentrix facultas, à rebus

à rebus aſtringentibus vires accipiens, nimis robuſta: vel, quòd frequentius eſt, excretrix valdè imbecilla: vel πόρ☉ χολιδόχ☉ obſtructus: vel denique inteſtinum ipſum ſit inflammatum, aut alterius viſceris tumore compreſſum, aut in ſitu permutatum aut conuolutum.

31. Euidentes huius doloris cauſæ ſunt, quæcunq; iam dictas efficere vel fouere poſſunt: cuiuſmodi ſunt aër frigidus, venenatus & peſtilens: crapula: ciborum pituitoſorum & praui ſucci, aſtringentium, flatulentium & crudorum creber vſus: aquæ, vel etiam vini, actu frigidiſſimi, multi aut impuri, vel muſti potus: venus immoderata, & lotio in aqua frigida: otium: conſuetarum purgationum ſuppreſſio & intermiſſio: vigiliæ diuturnæ: atq; in vniuerſum quæ vitioſis humoribus corpus replere poſſunt.

32. Porro affectus huius, & ipſius partis affectæ ſigna, vt plurimum inter ſe confunduntur: & quamuis ſint numeroſa, ex eiſdem tamen vix exactam notitiam, ſed potius artificioſam ſaltem coniecturam habere poſſumus, vt Gal. docet 12. Meth. Med.

33. Percipitur igitur hęc affectio vel maximè ex vehementiſſimo dolore, in intimo ventre, terebro perforanti ſimili, aut per quem palus videatur in dolente loco infixus, Gal. 2. de loc: aff: Cui mox adſunt inflatio quædam & extenſio, & flatus complures, & tormina, & in præcordijs mordacitas, nec non faſtidium & indigentia plurima. Quin etiam cibi cum appetitus, tum concoctio deijcitur, præceſſit ſacietas, otium, craſſorum ciborum & immodici vini ingurgitatio, & & in ſumma cruditas.

34. Affectum locum ſitus imprimis commonſtrat: plerunq; enim dextra parte magis apparet, indeq; reuoluitur

voluitur ſurſum, & in ſiniſtram partē, ilium, in modum zonæ procurrit: vbi etiā dolores grauiores eſſe ſolent, propter inteſtini ibidē anguſtiam. Iuxta renes etiam, & circa dorſum verſatur, infra ſupraq; vmbilicum, magnam vētris partem, modo dextram, modo ſiniſtram, vagus & inſtabilis, occupans.

35. Iam vero in ſpecie, quibus craſſus & pituitoſus humor dolorem facit, his ſæpè fixus eſt dolor, partes quæ ad vmbilicum attinēt, aut aliquando totū abdomen altè excrucians: ructus & flatus, fæcumq; excretio omnis cohibetur, ſed nec flatibus emiſſis dolor demulcetur. Vomunt præterea hi quandoq; varia, ſed potiſſimum pituitoſa: quando verò aliquid deijciūt, id iam ouillo, iam bubulo ſtercori ſimile aquæ innatat, ſpumoſum leue & flatu plenum, & pituita ferè commixtum. Habuitque originem hæc à crapula & otio, quæ cruditatem, craſſumq; humorem genuit.

36. Sed qui ex flatulento ſpiritu doleant, vehementia diſtenſionis, citra tantam grauitatem, indicabit: dolorq; magis locum mutabit, in varias ventris ſedes ſe contorquens: intus verò flatus, tam arctè concluſi, vt neq; ore, neq; aluo erumpere poſſint, obmurmurabunt. Quanquam non raro & copioſior congeſtus, in vno loco coërceatur ſpiritus, qui ibi maxima vi, inteſtinum, vel tunicas eius diſtendit atq; diuellit. Huncq; cauſæ flatus effectrices præceſſerunt.

37. Ab acri verò humore & erodente (quemadmodum ferè etiā ab inflāmatione) quiſq; obortus fuerit dolor colicus, fixus quoq; vt plurimū eſt, ſed cū febricula, ſiti ingenti, ſed vini faſtidio, oris amoritudine, ac vigilijs, etiam ceſſante dolore, moleſtis. Dolor adeſt mordax & vrens, cardiogmus & animi deliquia frequenter obrepunt, & horrores. Exeuntia cum dolore

 prodeunt,

prodeunt, & bilem æmulantur, maioremq́; ſæpè cruciatum excitant: qui multò magis quoq; eſculentis potulentiſq́; calidioribus (à quibus nimirũ originem ſumpſit) irritatur. Sed vrina etiam bilioſior & acrior in hac, quam reliquis redditur.

38. Particulatim verò, ſi ab inflãmatione coli dolor excitatur, pulſus iuxta ventrem moleſtat, internumq́; feruorem ægri ſentiunt, adeoq; non ignaua febris, cum ſiti ac bilis vomitione, quæ tamẽ malum nihil leuat: ſtercoris ſimul & vrinæ retentio. Plerunq; autem hæc à bilioſis morbis initia trahit.

39. Fæcum duritiem, aut concretam in inteſtino pituitam, vel ſimilia, portendit magna grauitas, ventrisque pondus & diſtentio tanta vt diſrumpi videantur inteſtina: ventris totius, aut partis alicuius nonnunquam manifeſtus tumor: venter friget: animus viresq́; languent: anteceſſit autem aut refrigeratio magna, & vſus aſtringentium, vel caloris exceſſus, cum obſtructione veſiculæ bilis.

40. Pro horum denique affectuum dignotione magnopere attendendum eſſe arbitramur, quo cibo potuq́; leuentur aut irritentur ægri: Galeno ſiquidem 12. Meth: teſte, agnitio affectuum, quæ ex coniecturalibus notis incipit, cum eorum, quæ proſunt obſuntq́; cognitione cohærent.

41. Quoniam verò complures alij etiam dolores, in partibus peritonæo compræhenſis, fiant, ſæpenumero colico dolori circa initia tam ſimiles, vt niſi quis accidentia, quæ poſtea conſequuntur, expectarit, diſcerni inter illos, etſi non modo vulgaris, verum etiam peritiſſimus ſit medicus, ægerrimè poſſit: ſymptomata ſane (quorum magna eſt in his affectibus copia & confuſio) ſi quæ fortè habeant magis propria, fide-

lem Me-

lem Medicum diligenter perpendere, operepretium eſt.

42. Quamuis enim, quod ad doloris mitigationem attinet, ſi iiſdem medicamentis vtamur, in doloris maximè initio, etiam Galeno teſte, nullam laboranti noxam inducimus: ſubſequenti tamē tempore, cum planè diuerſa auxilia deſiderent, non parum refert nouiſſe, quomodo, & quibus inditijs interſtingui debeant.

43. Ab Iliaco igitur, tenuium inteſtinorum miſerabili dolore, diſtinguitur colicus, quòd ille, ſecundum Gal: 2. de loc: aff: reſpectu huius nonnihil quidem minor, ſed tamen per ſe etiam maximus ſit: magis fixus, magiſq; in circuitu vmbilici circumuolutus, vbi ex tumore apparente, ad ſimilitudinem cordæ cōuolutæ, ſe prodit: cum ani perfecta, vrinæ autem magna cohibitione: ſtomachi nimia humectatione & exolutione, pituitæ biliſq;, cibi ac potus omnis, ſtercoris nidore inquinatorum, reuomitione: totius corporis frigiditate, ſpirandi difficultate, ſingultu, ſudore frigido, conuulſione, & quòd viſu horrendum, ipſius ſtercoris vomitu.

44. Simili modo colica etiam diſtinguenda eſt ab ijs torminibus, quæ circa vterum accidunt, quibuſq; mulieres ſæpe à partu, aut quo tempore fluxuri ſunt menſes, macerantur & ferè contabeſcunt. In matricis enim affectu, ad inferiora, pubem & coxas, vt plurimū dolor pertinet: & ſi poſt partum ſit, magis eſt in ligamentis, & ad inguina, in coxendici modum, deſcendit: ſin ob difficultatem menſium, circa renes potius, ex vaſorum diſtentione, torſioneue ſentitur, quem etiam menſium retentio præceſſit aut ſubſequitur, ac parum apertione alui ſedatur. Quin ſæpe etiam hunc

 ex ele-

ex eleuatis vaporibus, matricis dicta ſuffocatio, prodit.

45. Tertio cum eum coli dolorem, qui ſæpe fixus hæret in anguſtijs inteſtini, quæ ad ſiniſtrum renem ſunt, Nephriticus dictus dolor, ad vnguem, & adeò repræſentet, vt ipſum etiam Galenum ſemel deceperit: idcirco hi etiam, maximè ex 6. de loco aff: diligenter iuternoſcendi ſunt. Et quidem ſi dolor in loco renibus altiore fuerit, manifeſtè colicæ protendit indicium: aliàs Nephricici dolores, magis in loco ſtabiles, diuturni & in veſicam porrecti ſunt, minus verò lenientibus clyſteribus mittigantur, quamuis minus aluus aſtricta ſit. Nec excrementa ita flatuoſa ſunt, aut aquæ innatant; minorque nauſea: nec vomitus tàm aſſidui.

46. Vrina inſuper in Nephritico circa initia ſuppreſſa, aut aquoſa & pura eſt, quæ ſubſequentibus tamen diebbus aſperam præ ſe fert ſubſidentiam, & turbida euadit: ac ſi cum ea lapis, vel ſolus, vel cum cruore excernitur, ſimul à dolore æger liberatur: Cum in colicarum vrina (quæ vt plurimum tenuis, tincta & ignita eſt) neq; lapis, neq; cruor, neq; arena, ſed humor aliquis pituitoſus, ac craſſus, aut bilioſus ſubſidere videatur.

47. Quod ad Prognoſtica: Si dolor & excrementorum retentio nõ nimium vehemens eſt, & per commoda medicamenta remittunt: dolor etiam vagus eſt, & poſt redditum ſtercus, aut flatus emiſſos, mitigatur, æger quieſcit & facile ſpirat, bonum.

48. Quibus ad hypochõdria dolor eſt, ſine inflammatione: & quibus iecur vehementer dolet: ijs febris ſuperueniens, dolorem ſoluit. Hipp: 6. aph. 40. & 7. aph. 52.

49. Quibus

49. Quibus tormina adſunt, & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neq; medicamento, neque aliter ſoluatur, in ſiccum hydropa firmatur. 4. aph. 11.

50. Noſtro tamē ſæculo, præſertim in hiſce regionibus, grauior coli dolor, præſertim quem effuſio humorum ex toto corpore effecit, poſtquam longo ægrum tempore afflixit, ſæpiſſimè in reſolutionem neruorum tranſit, aut comitialem, aut articularem morbum: rarius in melancholicum, aut peritonei rupturam.

51. Inter omnes affectiones colicas, ea quæ ex inflamatione ortum ducit, eſt grauiſſima, vt quæ in Ileum tranſitum facilè minetur.

52. De hac Hipp.: dicit: à diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, ſuppuratio 7. aph. 22. Niſi mors præueniat inquit Gal. in comento.

53. Et in genere grauior eſt dolor, à cauſis calidis proueniens: minus verò periculi habet, à frigore natus: minimè verò periculoſus eſt, à ſimplici fæcum aut flatuum in cauitate retentione ortus: Quamadmodū ab externa cauſa productus, leuior eſt & breuior.

54. Dolores ventris inquit Hipp: 6. aph. 7. ſublimes, leuiores: non ſublimes, fortiores. Et vehentiſſimi quoq; coli dolores, periculoſiores ſunt, quàm mitiores, vtpote qui à leuioribus cauſis fiunt, Gal. 2. de loc: aff.

55. Maximè verò ſi dolor magis magiſq; augeatur: vomitus ad vomitum ſequatur: & omnimoda excrementorum retentio, extremorumque frigiditas accedat. Propter vehementem enim dolorem partium ad ventrem attinentium, teſte Hipp. 7. aph. 26. extremorum perfrigeratio, malum.

 56. Nam

56. Nam cum ad extrema ventum eſt, dolor conti- nuus & intenſiſſimus, frigidi ſudores, creber ſingultus, delirium, neruorum diſtentio, extremorum refrigeratio & ſyncope fiunt. Et ſi puſtula nigra, fabæ inſtar, ſupra ventrem appareat, ſequente die moritur.

57. Colicus igitur dolor cito curandus eſt: quia ob vehementiam vires maximè proſternit. Curatur autem accõmodata victus ratione: & legitimo pharmacorum vſu.

58. Victus itaque ratio, ſi vllo in alio, in hoc certè morbo exquiſitiſſimè obſeruanda eſt, cum vel leuiſſimo errore, præſens dolor exacerbetur aut vix propulſus recurrat. Neq; cibus tamen, neq́; potus, rectè vrgente dolore ſumitur.

59. Varietur autem diæta pro differentia cauſarum morbi, ægrotantium natura atque conſuetudine, aliarumq́; circumſtantiarum reſpectu. In vniuerſum tum eæ, quæ generatrices & fouẽtes doloris cauſæ animaduertuntur eſſe, diligenter euitentur: contrarijs autem æger ſtudeat. Nam in frigida & flatibus, calidi & attenuatorij cibi, viniq́; moderatus potus: in calida, ſubfrigidi, & quæ non facilè corripiuntur, ius galli, aut decoctum paſſularum cum cinamomo, cortice citri & ſimilibus pro potu: in genere verò, concoctu faciles, & boni ſucci cibi, cum parciſſimo potu, conueniunt.

60. Cæterum cum morbus hic affectus ſit contra naturam: ſui ablationem certè (id quod etiam huic obnoxij à Medicis vehemẽter omnes flagitant) omnium primum indicat.

61. Verum quia non facta, ſed adhuc fiens affectio eſt, atque ideo cauſis effectricibus ſubſiſtit, quarum quatuor principales, cum alijs quibuſdam ſupra enumerauimus: aboleri ſanè morbus non poterit, niſi cauſæ illæ

ſæ illæ omnes prius eijciantur. Hoſtilibus enim his cauſis ac morbo ſublato, naturæ inimiciſſima illa ſymptomata per ſe euaneſcunt.

62. A cauſarum ergo exturbatione curatio tempeſtiuè inchoanda erit: ſi tamē non vehementia doloris, nullas concedens inducias, vireſq; affatim proſternens, aut aliæ circumſtantiæ, mutare nos methodum cogant.

63. Cogimnr namq; aliquando ſuccurrere dolori, antequam cauſas expellamus: quæ tamen curandi ratio, cum plerunque plus noceat, quàm proſit, tunc ſolum admittendā ducimus, cum magni alicuius periculi metus ſit.

64. Dolor autem omnis cum ſuis cauſis ſubſiſtat: rectè ac propriè eum tolli iudicamus, per ea, quæ cauſam ipſius oppugnant: eaſq; vel prorſus amoliuntur: vel contemperant, vel partes dolentes leniunt laxantque: vel eaſdem ſtupefaciunt. Quoniam prima quidem verè: ſecunda etiam ſatis propriè: minus autem tertia: minimè omniū ſtupefaciētia dolorem curant.

65. Et quidem in creatis à flatibus, aut humore frigido doloribus, niſi ſummum expectandum ſit periculum, ναρκωτικά φάρμακα, non adhibemus: (ſiquidem diuturniorem & curatu difficiliorem affectum reddant) quæ tamen, vbi calida cauſa ſit, tutiora, imò aliquando, prudenter tamen adhibita, non parum vtilia, iudicamus.

66. Initio igitur in quacunq; colici ſpecie, ſi neceſſitas vrgeat, quovis modo dolores mitigandi ſunt. Et quum ex cucurbitulæ magnæ, cum flamma copioſa, admotione, non modo præſidium, incantamenti inſtar magnū, ſed maximum etiam ipſius affectus inditium, vt Gal. 12. Meth. teſtatur, proueniat, in huius

morbi

morbi principio, & in flatuoſæ quoq; proceſſu, non contemnendum auxilium erit.

67. Vtendum quoq; ab dominis frictionibus, fomentis cum ſiccis, tum humidis; inunctionibus, cataplaſmatis & emplaſtris: inſeſſibus: clyſmatis & potiunculis, flatus diſijcientibus & euocantibus, aut aluum lenientibus & emollientibus.

68. Summa tamen diligentia ſic moderanda omnia erunt, ne impenſè nimis viſcera calefiant, aut aliò quodam modo lædantur: (non enim iucundè ſolū, ſed & tutò curare decet) ſemperq;, quantum fieri poteſt, ipſius quoque cauſæ, inteſtina cruciantis, ſimul ratio habenda eſt.

69. In huius enim amolitione, cum optima accertiſſima, à doloribus hiſce liberandi, ratio conſiſtat: ea vero, vt ſupra oſtendimus, non ſit vniuſmodi: rectè, pro earum diuerſitate, & ordine, ipſa poſtmodum curatio eſſet varianda & inſtituenda, ſemperq; contraria contrarijs, & ſua quæque ordine cauſa, demenda erit.

70. Quare initio diligenter perpendenduu, vtrum ex primogenio inteſtinorum morbo, ſeu intemperie aliqua, generentur humores ſeu flatus illi: an vero ex alijs partibus, vt ventriculo, iecinore, capite &c. aut toto etiam corpore, ſubinde noua, ad inteſtina confluat cum flatibus materia.

71. Præterea locus affectus etiam conſiderandus: an videlicet in ipſa inteſtinorum cauitate malū contineatur, qua maiorem nobis curæ ſpem faciet: an intra ipſas illorum tunicas incluſus hæreat humor vel ſpiritus diſtendens.

72. Conſiderandum deniq; etiam, num non fortè cum hoc aliusquis, ſiue compoſitus, ſiue implicitus

morbus

morbus adſit. Horum namq; ſinguli, aut quo ſibi ortu ſucceſſerunt ordine, aut alia artificioſa methodo, extirpandi erunt.

73. Quod ſi itaque animaduertamus, in cauis inteſtinis, aut durum ſtercus, aut pituitam, aut ſimilem morbi cauſam, inteſtinum ſtimulantem, cohiberi: protinus clyſtere ſimplici emolliente, aut laxante aliquo pharmaco, ad cauſæ naturam comparato, euocabimus vel educemus.

74. Idq; ſi primo non ſuccedat, ſemel atq; iterum, vel donec voti compotes fiamus, tentabimus: Hierapic: ſimplici Diaphenicone, lardo, vel Diacitro, vel ſimili aliquo adiecto fortiore. Quamuis pituita ſi viſcoſa & lenta ſit, inciſionem & abſterſionem, quo facilius ſubducatur poſtulet.

75. Sin intra ipſas tunicas cauſam contineri ſuſpicio ſit, Validioribus & crebrioribus, tum clyſterijs, cum epotis medicamētis vtemur, vt aliquid videlicet ex ipſis etiā tunicis eliciamus: ſi tamen nullus adſit affectus, qui id fieri prohibeat.

76. Quibus expulſis, ad reliquias conſumendas & diſcutiendas, in hac cauſa deinde etiam attenuatia & concoquētia, ſi humores in cauſa fuerint: & ſi flatus, diſcutientia, tam intra, quam extra corpus adhibenda, præſcribimus.

77. Et ſimul, ſi frigida ventriculi, aut inteſtinorum intemperies ea producat, cibis, potu, medicamentis ſumptis & admotis calefacientibus, & flatibus materiam ſubtrahentibus, ipſos diſcutientibus, aut exitum eis præbentibus, corrigimus. Et ſi quoq; error aliquis in victus ratione commiſſus ſit, vt emendetur, diligenter præcipimus.

78. In quo caſu Theriacam & Metridatium omnes

Galenus ruſticorum Thericam Allium, quod citra ſitim flatus diſcutiat: & cum alijs caſtorium: recentiores non immeritò ſyrupum vinumq; abſinthij, magis verò, artificioſè deſtillata ex aromatibus, calidis ſeminibus & herbis, ac ſimilibus, olea & extracta laudant. Et nos ſingulariter ex Chamæmelo Romano deſtillatum oleum, tam intra, quam extra adhibitum, commendamus.

79. Extrinſecus etiam oleo rutaceo, anethino, liliaceo, nardino, pinguedinibus vulpis & alijs, Emplaſtro baccarum lauri & ſimilibus vti licet: quibus deſtillata olea, zibetum, caphura, ob penetrationem maiorem addi poſſunt.

80. Porro in eo colico dolore, qui ab humorum ad inteſtina influxu fouetur, in primis & ſedulo demulcẽdus dolor erit: ne videlicet eo ſtimulata natura, ſubinde plus humorum ad inteſtina tranſmittat, quibus dolores renouentur & augeantur.

81. Prudenter tamen hic, & moderatis remedijs ſuccurrendum: cauendo, quantum fieri poteſt, omnem humorum fuſionem ac commotionẽ magnam. Quare ex Galeni conſilio, vehementer calefacientia, violenterq; purgantia, & corpus exagitantia, planè non conueniunt: (præſertim ſi ex vniuerſo corpore flatulenta acriſq; materia confluat, quod crebro in noſtris hominibus fieri diximus) cum plerunq; ad πάρεσιν & ſacrum morbum viam ſternant.

82. Eſt præterea hic non tam ad proximam, quam ipſam antecedẽtem morbi cauſam reſpiciendum: nec parti affectæ ſolum, ſed & mandanti, & vt plurimum toti corpori, proſpiciendum.

83. Hinc etſi omnibus ferè medicis, in hoc morbo derelicta eſt phlebotomia: nos tamen, ſi carnoſum

corpus

corpus ſit, & vires cæteraq; permittant, non raro efficaci remedio vſurpari poſſe exiſtimamus, idq; præſeruationis gratia.

84. Quippe hac non ſolum humores ad inteſtina confluentes reuelluntur, verum etiam magna ſui parte euacuantur: quo fit, vt reliquos deinceps, ſubleuata natura, facilius vincere & concoquere, aut ſaltem breuiori tempore & mora, ineptos per inteſtina eijcere poſſit.

85. Non igitur, vt diximus & Gal. 12. Meth: author eſt, acribus clyſmatis, & fortibus, ſcamoneatis aut ſimilibus remedijs, multo minus Chymicis iſtis ignibus, expultrix potentia, per ſe iam inquieta, plus irritanda, & vires, maximè ventriculi inteſtinorumq; virtus proſternanda eſt: ſed leuioribus potius, & benignis dictis pharmacis, crebrius, & per ἐπίκρασιν quaſi tales purgandi, & ſpontè affluenti materiæ via aperienda eſt.

86. Ac ſi aliquando fortioribus quibuſdam omnino opus ſit, in eorum tamen vſu diu perſiſtendum non eſt. Non inutiliter autem his quandoq; (vehementer tamen vrgente dolore) quæ ſtuporem inducunt, admiſceri poſſunt. Sic enim & calor pharmaci, & acredo peccantis humoris nonnihil corrigitur: dolor ſedatur: & pharmacum narcoticum (quod alias facilè læderet) non diutius, quam par eſt, intra corpus permanet.

87. Sed acriores etiam humores accõmodatis medicamentis, & ante, & poſt purgationem contemperandi ſunt: neq; enim vno die (quod optarent quidem ægri) educuntur omnes.

88. Ex purgationibus leuioribus ſimplicibus, Rhabarbarum, cæteris hic non ſine cauſa præferimus: prodeſt autem & Sena, & Manna, & Caſſia, & Terebinthina, Aga-

na, Agaricus trochiſcatus, Mechoaca, & ſi quæ ſunt ſimilia. Ex compoſitis: Syr: roſ: ſol: aut ſimilis, & Syr: Diaſereos, El: lenitiuum, Diaprun: len: Diacathol: pillulæ communes. Quæ tempore neceſſitatis extracto Rhebarbari, aut ſupra citatis, aut huius generis alijs, roborari poſſunt.

89. Optimum autem hæc cum ſuis corrigentibus, flatus diſcutientibus, (vt El. de Baccis lauri, vel deſtill. oleis, in minima quantitate additis,) ipſam intemperiem moderantibus, partem affectam confortantibus, aliquando ſtupefacientibus, mixta exhibere. Narcotica quoq; decet cum Caſtorio aut alijs, legitimè, quale Philonium Romanum eſt, correcta eſſe.

90. Demum corpore probè mundato, relictam intemperiem, & ſi quæ facta ſit, exulcerationem curamus: Ventriculum & inteſtina roboramus: nec ſegniter in auertendis, & per ſudorem (ſæpè Guaici decocto, aut ſimili) euacuãdis reliquijs, totoq; corporis habitu, bona diæta & remedijs reſtituendo laboramus.

91. Et cum in hoc morbo diuturno, ab exquiſitiſſimis doloribus vires frequenter & grauiter deijciantur, magna ſanè harum, per integrum morbi tempus, cura: quemadmodum & grauidarum mulierum diligens ratio habenda erit; nè aut illæ ſuccumbant, aut his aliquid inijciatur, applicetur aut imperetur, quòd abortum faciat.

92. Quando autem (quòd reſtat) coniectura eſt, à capite ſolum ad inteſtina defluere materiam: Capiti ſanè, qua poteſt diligentia, diæta & remedijs diſpoſitioni conuenientibus, prouidendum quoque erit: quòd item de alijs, materiam ad inteſtinum mittentibus, aut ipſum comprimentibus, aut quouis modo alio lædentibus, viſceribus & membris, intelligi volumus. Si-

mus. Siquidem his curatis, quem in inteſtino affectum faciunt, per ſupra declarata media, facilè curabitur.

93. Inflammatione verò exercente inteſtinum: victus rationem tenuem & ferè febricitantium, quouſq; diſcutiatur phlegmone, ordinamus: protinus quoq; è gibbero internam venam, vel ſi vrinæ difficultas dominetur, ex malleolo ſanguinem detrahimus.

94. Denique (id quòd tamen ante phlebotomiam fieri quoque poteſt) Enematibus lenitiuis, magis tamen quam in reliquis ad frigidum tendentibus, educimus: nam & acria & vehementer purgantia vel maximè hic vitamus.

95. Si à vermibus excitetur hic dolor: interficiantur vermes, & educantur per ea, quæ ipſis moleſta ſunt. Et ſi à grumo ſanguinis: Incidentibus & abſtergentibus, atq; hunc proprietate quadam expellentibus, educatur. Ruptura etiam, ſi in cauſa ſit, prius curetur.

96. Ex hauſto veneno vel pharmaco Colica, Vomitu & alijs à Dioſcoride præſcriptis medicamentis, cum vniuerſalibus, tum vnicuiq; veneno appropriatis, tollitur. Quemadmodum ſi contagioſa ſit (cuius poſt Hipp: meminit Paulus Aegineta, & ex recentioribus nonnulli) potiſſimum per Alexipharmaca illam curari (ſi modo curabilis ſit) non dubitamus.

97. Frequenter, & quidem leuiſſima de cauſa, ferèq; deterior ſemper recurrere ſolet Colicus cruciatus, in quē nè relabatur patiens, nullo auxilio rectius, quam optima victus ratione diutiſſimè obſeruata præcauere poterit: omnes euidentes cauſas, præſertim verò magno ac pio animo crapulam & venerem immoderatam vitando.

98. Et cum hoc malo obnoxij, ex retentione fæcum, ſtatim incommoda maxima ſentiant, benignè

aliquo purgante, ſimulque roborante, & intemperiem prohibente medicamento, quoties opus ſit, alui beneficium, magno ſuo commodo procurabit.

F I N I S.

